

ne tantas hominum cernant calamitates.

Quid autem de peste trium annorum dicam? nullo prius viso Cometa in Italia (Germanos & Hungaros mitto) ad 400 millia mortalium sublata sunt. Quot venerandi Theologi? quot viri sapientes? quot fortissimi senatores, quorum singulos cum Regibus conferas (Deus enim potentiae summæ virtutem & iustitiam anteponit) pestis contagio sublatis sunt? Cometa nullus arsit, & tamen tantî populi deflagrarunt? Et ij tamen obstinati cometomantes 30. milia cum quingentis milibus, & barbaros tres reges, cum tanto sapientum numero conferre audent? At Christianus Rex cæsus: quot putas Regios filios alibi natos? quot ad regnum idoneos licet nunquam Reges futuros? Quare sileant iam, si velint, aduersarij pertinaces, neq; speciem nobis fletus obijciant, nisi uelint sibi à nobis nostras horrendas & luctuosas calamitates maximo cum omnium dolore memorari.

CONCLUSIO EXTREMA.

Cap. IIII. *Conclusio ultima* *Veri uates* *Timoris ueræ cause.* **QVÆ** cū ita esse uideamus, explodatur iam cum alijs Diuinorum nugis (nugas enim, & corruptelas artis, non artem reiicio) hæc ipsa de Cometis præsentio. Neque Deo prouidentiam suam, liberumq; nobis tamen abstrusum consiliū temerè exploremus. Neque suas naturæ uires ac fructus non rarò abditos iniquè eripiamus. Neque cum aperta religionis nostræ ueritate obstinatè pugnemus. Nunquam (ut me monuit Guliotta socer meus) sanctissimi uates à signis cœli suas comminationes acceperunt. Nunquam de Cometis uerba fecerunt. Illæ erant veræ minandi ac vociferandi causæ, quæ semper & ubique sunt, & magnæ & formidandæ, peccata, scelera, libidines nostræ. Addebāt Dei iustitiā, nō Eclipsim, non crinitas, aut enses, aut cornu igneū ostētabat. Hæc ipsa quæ illi seruarunt,

uarunt,